Noverint universi. Quod Ego Petrus de aulina filius Petri Jacobi de aulina vallis et parrochie sancti Danielis Gerunde gratis et
ex certa sciencia de consensu et voluntate dicti patris mei Confiteor et Recognosco vobis honorabili et Religiose domine Ermessendi
dei gratia Abbatisse monasterii sancti Danielis Gerunde licet absenti tanquam presenti Quod sum et esse debeo homo proprius et solidus dicti
monasterii et vestri nomine eiusdem et succedencium vobis in eodem monasterio una cum prole mea descendenti nascitura ac rebus et bonis meis
mobilibus presentibus et futuris eo quia sum filius dicti Petri Jacobi de aulina qui est homo proprius et solidus dicti monasterii
racione mansi sui de aulina dicte vallis et parrochie Quiquidem mansus pro dicto monasterio directe tenetur et de quo
manso eiusque terminis honoribus et possessionibus dictum monasterium habet et habere debet homines et mulieres et alias ser
vitutes Quare promitto et cetero vobis et dicto vestro monasterio et vestris in dicto monasterio succedentibus ero bonus fidelis
et legalis de corpore et avere prout bonus vassallus esse debet suo domino naturali Et non intrabo causa habitandi
aliquam Civitatem villam Castrum vel alium locum privilegiatum et non privilegiatum nec aliquid aliud faciam tractabo vel pro
curabo propter que vos aut dictum monasterium et succedentes vobis in eodem possetis et posset ius et dominium quod in
me et prole mea nascitura et rebus meis mobilibus habetis et habere debetis amittere et alius sibi adquirere quoquo
modo obligando ad hec vobis et dicto monasterio et vestris succedentibus in eodem monasterio personam meam et omnia bona
mea habita et habenda ubique Et pro predictis facio et presto homagium ore et manibus comendatum discreto Petro Capmany
scriptori Gerunde pro vestro et dicti monasterii illud a me recipienti iuxta usum et consuetudinem huius terre Iurans eciam
sponte per dominum deum et eius sancta Quatuor evangelia corporaliter a me tacta predicta omnia et singula rata grata et firma
semper habere tenere et servare eaque attendere et complere et non contrafacere vel venire racione minoris etatis restitucio
nem in integrum postulando nec aliqua alia racione iure modo vel causa virtute dicti iuramenti quia minor sum
viginti quinque annis maior vero quindecim annorum Renuncians sciens super hiis iuri minoris etatis beneficio
restitucionis in integrum et omni alii iuri in contrarium venienti Et ego dictus Petrus Jacobus de aulina
pater dicti Petri de aulina consenciens predictis laudo hec et firmo. Actum est hoc Gerunde Sexta die men
sis aprilis anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo vicesimo octavo. Sig+num Petri
de aulina iurantis et Petri Jacobi de aulina eius patris consencientis predictorum Qui hec firmamus et
laudamus. Testes huius rei sunt Anthonius Saguerii presbiter de Ruolutore de Gisona et Jacobus
Garrosser vallis sancti Danielis parrochie sancti Felicis Gerunde.

Sig+num Berengarii Ferrarii et Sala notarii publici auctoritate Regia substituti a
Jacobo de Campolongo notario publico Civitatis baiulie et vicarie
Gerunde sueque pertinencie notario hec scribi feci et clausi.

1428. IV. 6

nº 1125

[illegible] de S. Daniel

[illegible]

Homenatge.

Homenatges prestats per [illegible] a[l] monastir de Sant Daniel [illegible] propri [illegible] monastir

S. Daniel

T. 197 X 230

Mtrv. O del plec tercer de S. Daniel. AC. 9V

1194